



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1786

VD18 90119355

§. 59. Ordinum Provincialium protestatio contra Suffraganei Constantiensis actum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

Sæc. XVIII.
A. C. 1740.

§. LIX.

*Ordinum Provincialium protestatio
contra Suffraganei actum.*

Cum autem Provinciales Ordines Lutherani, quod rite factum, improbare, aut impedire haud ultra possent, saltem scriptotenus reclamandum esse censebant; eapropter mox altera die solemnem protestationem ipsimet Serenissimæ Ducissæ tradere non dubitarunt: Erat illius titulus sequens: *Protestatio ad Serenissimam Ducissam Viduam ac primam Tutricem a Wirtembergicis Ordinibus Provincialibus directa in puncto actus primæ tonsuræ, quam Constantiensis Suffraganeus Principi Friderico Eugenio in Serenissimæ cubiculo anteriori contulit, die quarta Martii Anno 1740.* Hujus scripti summa erat hæc:

Præprimis blanda assentatione, amplisque verborum lenociniis Serenissimæ gratiam aucupari intenti, singularem ejus clementiam comitatemque erga fideles suos subditos, Prælatos & Ordines ad astra extollunt ac propterea se omnia sua bona, vitam & sanguinem pro Serenissimæ Domus incolumitate sacrificare paratos jactitant. Hujus autem sui affectus causam allegant hanc, quod ipsa proprio motu sub-

scripse-

scripserit literis, quibus defunctus ejus Maritus Lutheranae sectae conservationem Provincialibus Ordinibus sponderat: His expositis non obliviscebantur in memoriam revocare, quanta ipsi vicissim in gratitudinis signum fecerint, scilicet, quod duos miliones aëris alieni præter alia quinquaginta florenorum millia solverint, quamvis exhausto penitus ærario a sola Dei omnipotentia opem sperare potuerint. Hoc memorato parum abfuit, quin non palam Ducissam de ingratitude pro tanto beneficio incularent; declarabant enim, quod præ doloris immensitate ipsis lingua, mens, & verba desint, quibus satis exprimere possent *justissimam* suam afflictionem, qua præter omnem expectationem percipere coacti fuerint, quod ipsa Constantiensem Suffraganeum huc advocarit, & per ipsum geminos actus Diæcesanos heri & quidem ea die, *qua omnipotentis Dei providentia grave malum jamjam impendens avertit* (*), summa festinatione peragi

Sæc. XVIII.

A.C. 1740.

(*) Nempe Serenissima hæc Ducissa gemino hoc Religionis suæ exercitio non modo iram Dei provocavit, sed etiam ingratiſſima ſingulare Beneficium, quo Deus tantum malum clementiſſime avertit, nova in Lutheri Religionem injuria compensavit.

Hist. Eccles. Tom. LXXVI.

Yy

per-

Sæc. XVIII. permiserit: *Serenitas vestra*, ita in suis
 A. C. 1740. lamentationibus prosequerentur novi
 hi Jeremiæ, *per amorem Dei pro innata*
sua perspicacia perpendat, quam acerbo
doloris sensu Prælati atque Ordines Pro-
vinciales Ducalem sponsonem () in oculis*
Dei, Cæsareæ Majestatis, totiusque Ro-
mani Imperii gratiosissime ac sacrosanctè
factam uno actu pessumdatam, ac Religio-
sam & Westphalicam pacem tam violenter
fractam cernere ac tolerare cogantur, præ-
terea quod inde maximum quoque præjudi-
cium in futurum clementissimo juveni Prin-
cipi hæreditario propter Evangelicum Di-
rectorium in circuli comitiis illatum fuisset.
 Ex his causis se permotos dicunt, ut
 pro

(*) Quo sensu Serenissimus Dux Carolus
 Alexander sponsonem suam intelligi voluerit,
 patet ex his ejus verbis: „Ut filii mei prout
 „Christianos ac Principes decet, in antiqua,
 „quam serua voluntate, & ex speciali misere-
 „rentis Dei vocatione pro nobis nostrisque
 „hæredibus denuo amplexi sumus, Religione
 „Catholica, in vera Christi Ecclesia a Christo
 „ejusque sanctis Apostolis ad nos propagata,
 „unica & re ipsa vera Ecclesia; in vero Dei
 „timore, & unice ex eo profluentibus hono-
 „rum semitis, in Christianis, Principe dignis,
 „ingenuis bonisque moribus, virtutibus &
 „scientiis . . . probe educantur &c.

pro suo officio, quo Principis Majestatem & patriæ libertatem conservare obstringuntur, contra ejusmodi vexationes protestentur; hujus tamen temerarii actus veniam sibi eo certius concedi petunt, quo magis intimo cordis dolore perceperunt, quod Ickstadius Herbipolensis Professor jussu Serenissimæ Ducissæ scriptum in Lipsiensibus Novellis recensitum publici juris fecerit, in eoque reversales a defuncto Duce factas velut famosas reversales non sine præfati Ducis injuria, & Wirtenbergensis Provinciæ calumnia traduxerit, & tam noxium venenum disseminarit, ut exteris quoque offensionem esset, & patriæ periculosissima mala inde oritura imminerent: Ne ergo ejusmodi Episcopales usurpationes deinceps pertimescendæ essent, se coactos inquirunt, ut suas querelas ad *Corpus Evangelicorum* deferant, & Imperii pacta, Ducalem sponsonem, & Reversales, necnon Ducatus libertates non sine honorum ac sanguinis dispendio partas conservari supplicent &c.

§. LX.

Contraria Ducissæ declaratio ad Ordinum protestationem.

Yy 2

Per-

Sæc. XVIII.
A. C. 1740.